AD AUDIENDAS ORATIONES

A

NONNULLIS DISCIPLINAE NOSTRAE ALUMNIS, IN ACADEMIAM DISCESSURIS,

IN

SCHOLA CATHEDRALI NUMBURGENSI

D. X. MAI. A. MDCCCXXVII

HABENDAS

INVITAT

GREGOR. GOTTLIEB WERNSDORF

PHIL. D. ET LL. AA. M. SCHOLAE RECTOR, PROFESSOR, SOCIETAT. LAT. JENENS. ET BEROL. TEUTON. SODALIS HONORARIUS.

Schober

Insunt:

I. Jo. Christian. [redacted] Coll. IIII. Commentatio de Taciti Germ. Cap. II. 5-7.

II. Annales scholae a festis diebus Paschatis MDCCCXXVI. ad eosdem MDCCCXXVII.

NUMBURGI AD SALAM,

TYPIS CAROL. AUG. KLAFFENBACHII.

27

Quod Livius, rem populi Romani perscripturus, graviter olim conquestus est, ab exiguis illam initiis profectam eo crevisse, ut magnitudine laboraret sua, id haud scio, an nostris temporibus eodem propemodum jure dici liceat de litterarum antiquarum studio. Namque ut fuit antea tempus, quum, nulladum certa scientia de illis litteris condita, multi tantum scriptorum veterum praestantiae tribuerent, ut, admiratione et gaudio velut elati, toti et mente et animo in eorum imitatione versarentur [1]), alii contra, spreta fere tanta utriusque linguae facultate, aut emendandis illustrandisve doctae antiquitatis monumentis acquiescerent [2]), aut non plus in ea operae conferrent, quam quod satis videretur ad historiae aliarumque rerum utilium cognitionem inde petendam, denique

---

[1]) Satis erit, hoc loco mentionem fecisse Franc. Petrarchae (1304—1374), Marci Antonii Mureti (1526—1585.) et Petr. Jo. Perpiniani (1530—1566.), quorum ille Africa sua sive libris IX. de gestis Scipionis Africani, cum Virgilio, hi orationibus, suo illis genere perfectissimis, cum Cicerone de principatu videntur certare voluisse. Multos alios, quibus, quum suos mores veterum cogitandi rationi eorumque linguae ingenio temere miscerent, hoc imitandi studium parum processit, praetermittendos existimavi.

[2]) Longum est, singulatim enumerare, quicunque seculo XVI., XVII., et ineunte sec. XVIII., alius alia ratione, justiori scriptorum veterum tractationi vacaverint. Magna sunt fere singulorum merita tum de accuratiore graecae latinaeque linguae scientia, tum de reliquis cognoscendae antiquitatis adjumentis. Quominus liberiore studio universam antiquitatem amplecterentur, id maxime obstabat, quod iis in tanta tum harum litterarum egestate ex multis iisque saepe disjunctissimis veterum scriptorum locis maxime necessaria illos ipsos intelligendi subsidia petenda erant. Quibus magno labore paratis, quum harum quoque litterarum studio multum de sua austeritate ademptum esset, exeunte denique seculo XVIII. licuit de singulari quadam disciplina rerum ad antiquitatem pertinentium cogitare. Eorum autem, qui paulo post, quam litterae renasci coeperunt, aucta divulgataque per Laurentium Vallam (Elegantiae sermonis lat. 1407—1457.), Aldum Manutium (Institutiones grammaticae Venet. 1514), Mar. Nizolium (Lexicon Ciceronianum Basil. 1520.) Rob. Stephanum (Thesaurus linguae lat. Par. 1531), Devarium (Liber d. particulis ling. gr. Rom. 1527), Henr. Stephanum (Thesaurus linguae gr. 1572.) et alios utriusque linguae cognitione, ad novam non modo antiquas, sed omnes omnino litteras tractandi rationem viam munierunt, facile principes sint Jos. Scaliger (1540—1609.) et Is. Casaubonus (1559—1614), quorum ille, praeterquam quod excellentiam antiqui sermonis imitatione proxime accessit, opere de emendatione temporum (Paris. 1583.) primus ostendit, quantum in his litteris valeat critica, lente si insistat vestigiis antiquitatis, ratio.

non pauci illa studia, per se ipsa nullius quidem bonae frugis, at in tanta eorum cum theologia, jurisprudentia et medicina cognatione, in aliquo certe harum doctrinarum praesidio ponenda existimarent [3]): ita triginta circiter abhinc annis, quibus intelligentissimi antiquitatis spectatores de summa, ambitu et certis hujus ut singularis suique quodammodo juris disciplinae finibus diligentius quaerere coeperunt [4]), in tantam rerum copiam et amplitudinem hoc litterarum genus accrevit, ut, postquam singulas ejus partes aequabilius tractandi quaedam ratio evaluit, accommodata illa quidem omni veterum cogitandi rationi morique pernoscendo, jam pauci sint, qui se latissimo hujus doctrinae regno quoquo versus perlustrando non impares esse fateantur. Quo fit, ut nunc quoque plerique eorum, qui haec studia exercent, reliquis rebus, quibus litterae antiquitatis continentur, universa quadam scientia comprehensis, potissimum in scriptis veterum occupentur. Haec vero eo minus praepostera nobis videri debet ratio cognoscendae antiquitatis, quo propius ad veritatem ea illorum temporum velut imago recte judicanti accedit, quae non tam diffusa multarum quamvis utilium rerum cognitione exquisitisve religionum ab ipsis antiquis parum intellectarum interpretationibus, quam diligenti optimisque subsidiis instructa scriptorum antiquorum lectione animo informatur. Quamquam ab hac quidem ratione, ut nihil de illis dicam, qui suam qualemcunque antiquitatis notitiam inchoatis maximam partem librorum veterum conversionibus debent, nostro aevo nonnulli etiam eorum discesserunt, qui, nisi nimis valde ingenium fovissent suum, multo magis prodesse antiquitatis pervestigationi poterant. Notum enim est, ut unum tantum afferam exemplum, quanta maxime inter duos nostrae aetatis viros doctos de vera religionum antiquissimarum interpretatione orta sit controversia [5]). In qua quum Hermannus ingenti omnium consensu eorum, qui vestigia antiquitatis potius, quam meras sequuntur opinationes, demonstraverit, ipsum Homerum atque Hesiodum in retrusa abditaque illa rerum initiorum scientia hospites fuisse, quam sub deorum dearumque involucro latere vix dubitare licet: ne perfectissima quidem, si qua posset comparari, mythologiae antiquae intelligentia apte in pervestiganda antiquitatis ratione adhiberetur. Etenim qui potest ea vera esse aliqua imago, cui ut obsequamur, af-

---

[3]) Ineunte nimirum seculo XVII. a nonnullis eo angusti deductum erat litterarum antiquarum studium, ut, enumerandis depravatae scripturae exemplis ferme quum contineretur, multi ab eo se imperitorum vocibus deterreri paterentur. Quantumvis igitur peccaverit Basedovius ille (1723—1790), quod antiquitatem tam incuriose habuit, idem tamen ambiguum est temeritate sua plus utilitatis an detrimenti litterarum antiquarum studio importaverit.

[4]) Quanto cum fructu liberalioris ingenii cultus hoc inprimis a Frid. Aug. Wolfio in libro, qui inscribitur „Museum d. Alterthumswissenschaft" T. I. factum sit, satis constat. Qui vel eandem rationem sequuti, vel paullulum ab ea digressi, adhuc antistitum quasi munia in harum litterarum sacrario obeunt, eos me nominatim afferre, vetat metus, ne quid de sua illis laude detrahere videar.

[5]) Confer. Hermann's u. Fr. Creuzer's Briefe über Homer u. Hesiod, vorz. üb. d. Theogonie Heidelb. 1818. et Hermann üb. d. Wesen u. d. Behandlg. d. Mythologie. Leipz. 1819.

fingimus ea, quae non insunt in ipso exemplo? Atque, ut aliis argumentis, quae ad hanc rem afferuntur, supersedere liceat, praeter sacerdotes neminem neque poetam, neque ullum alium scriptorem his interioribus litteris initiatum fuisse, sed quicquid simulacrorum ad reconditiora quaedam adumbranda tum communi erat in usu, pro ipso habitum esse eo, quod significaret, quum omnis antiquitatis ingenium, tum summa, quae in omnibus veterum operibus est, simplicitas declarat et jucunditas. A quibus quidem virtutibus quantum abfuerit oraculorum obscuritas, frequens docet veterum in hac re trepidatio. Nec mirum. Licet enim sortes illas consulto, alio ut modo explicatae in alium eventum posse accommodari viderentur, in incertum et ambiguum implicatas videamus, multum tamen refert meminisse, quantam involutae abstrusaeque res per se ipsae procreent orationis obscuritatem. — Sed, ut omittam, quae a meo me proposito abducunt, si verum est, de quo vix quisquam dubitaverit, omnem omnino linguam esse mentis humanae quandam quasi effigiem, per quam cogitata sensaque nostra ad aliorum intelligentiae vim admoveantur atque hoc utrumque conjunctionis vinculo contineri, ut quanto magis mens humana excolatur, eo meliore cultu subigatur ipsa quoque lingua [6]): is profecto longe accuratissimam ingenii morisque antiqui notitiam capiat necesse est, qui se, scriptores veteres dies et noctes pervolutando, idoneum utriusque linguae interpretem reddidit. Accedit etiam, quod non minus eam, de qua loquimur, colendae antiquitatis rationem commendet. Quantumvis enim multi viri, graecae latinaeque linguae pariter atque ingenii acumine insignes, in praestantissimis eruditae antiquitatis reliquiis tum componendis emendandisque, tum illustrandis aliquando elaboraverint, tantum tamen illi, accuratae omni genere doctrinae aliorumque adjumentorum copiis aut nondum paratis aut certe occlusis, et ad pristinam earum formam et expletum omnibus numeris et partibus suis intellectum reliqui fecere, ut, qui vel constantem scriptoris alicujus cum antiquis exemplaribus comparationem instituat, vel ubi illorum, certe novorum utendorum nulla facultas sit, auctoritatum penuriam nunc exquisita doctrina, nunc subtili in dijudicando compenset argumentatione, plurimum ad veram harum litterarum non solum tractationem, sed perficiendam earum quandam disciplinam proficiat. Namque ut ne commemorem, quot quantae auctoritatis scriptorum veterum exemplaria e bibliothecarum latebris in lucem protracta sint, quibus ex sua quoque stirpe quasi et indole recte aestimatis reliquisque, quorum pridem copia data erat, denuo comparatis, certius tum aliquid de innumerabilium locorum natura constitui licuit [7]): nulla, ne levissimi quidem momenti, quae videa-

---

[6]) Conferri poterunt, quae de hac sermonis cum ratione humana cognatione Herder in libro, quem inscripsit „Ueber den Ursprung der Sprachen. Berl. 1772." non minus subtiliter quam eleganter disputavit.

[7]) Abundabant quidem scripta veterum jam seculo XVII. exeunte critica materia, sed defuerunt etiamtum, qui et acri ingenio et multiplici eam doctrinae subjicerent. Tandem suos nacta Aristarchos sunt Richardum Bentleium Britannum (1661 — 1742), Hemsterhusium (1686 — 1766) et

tur, harum litterarum pars intacta est relicta. Sive enim spectes grammaticam utriusque linguae rationem, adeo illa abhinc triginta annos conjunctis VV. DD. studiis emendata est, ut neque antiquorum Grammaticorum doctrinam tanti facerent, ut eorum decreta non diligentius ad quam plurima incorrupti sermonis antiqui exempla identidem examinarent, neque in una ita acquiescerent experientia, quin in quibusdam hujus artis partibus rationem humanam, aliquanto illam magis atque antea philosophiae lumine illustratam, ducem sequerentur, ita ut nostrae debeatur aetati, quod quae de grammatica utriusque linguae ratione tum ab antiquis Grammaticis praecepta, tum ab interpretibus suis ad libros veterum commentariis aspersa, tum vero etiam singularibus, qui ad hanc rem pertinent, libris sunt prodita, ea sua quadam jam arte concluduntur [8]; sive animum advertas ad geographiam et historiam, ad eam hae disciplinae perfectionem perductae sunt, ut, quum antea satis existimarent, nullum neque veterum de orbe terrarum notionis, neque rei cujusquam gestae cognoscendae fontem negligere, jam nemo tam parum sit cautus in colligendis ad probandum argumentis, quin pro diverso tum rerum tum scriptorum genere haud raro gravissima, quae videntur, ipsius antiquitatis testimonia addubitare, quam his fidem habere malit auctoritatibus, quae vel scriptoris aliquam ignorationem, vel quodcunque aliud atque veri investigandi studium redolere videantur [9]; sive

---

Valckenarium (1715—1785). Ex quo quidem tempore ars critica tam studiose exerceri coepta est, ut verendum esset, ne ars interpretandi, ad quam summa harum litterarum studii redit, in perpetuum exularet. Quae sollicitudo ne exitum haberet, eorum provisum est ratione, qui nostra aetate utraque scriptores veteres tractandi intelligendique subsidia ita, neutro posthabito, adhibent, ut, quum ars critica jam pridem consummata sit, ars interpretandi, si spectas rationem, qua nunc a quibusdam praestantissimis ingenii antiqui interpretibus colitur, vera quaedam in dies incrementa capiat. (Confer. Reisigius in Praef. ad Sophocl. Oed. Colon. p. XXII. XXIII.) Atque eo, quod criticam omnis generis materiam tam sedulo undique comportabant, evenit, ut multae etiam novae necdum cognitae librorum veterum partes detegerentur. Hos, quum in omnium manibus sint, percensere, supervacaneum est. De iis partibus, quae inde ab anno 1813. codicibus, quos vocant, rescriptis surreptae sunt, conferri poterunt Ephem. litter. Hermes T. XXIV. et XXV. fasc. II.

8) Pervulgata sunt eorum nomina et opera, qui non minore philosophiae quam linguae graecae cognitione instructi, critica progredientes ratione, argumentationes quasdam male illas, quum modum excederent, institutas oppugnarunt. Conf. d. hac re Buttmannus in Praef. ad grammat. gr. ed. X. p. V. et, qui plurimum in hac re peccavit, Ev. Scheidius in animadvv. ad Lenneppii praelectt. acad. de Analogia linguae gr. Traj. ad Rhen. 1790. Ad grammaticam latinam quod attinet, vehementer optandum est, ut post tanta verae emendationis incrementa, quae per Grotefendum illi, C. L. Schneiderum, Zumptium, Ramshornium et, id quod mirandum est, nunc demum apud nos quidem per Th. Rudimannum (Grammaticae lat. institutiones. Edinb. 1725. 31.) allata sunt, tandem aliquando exsistant, qui, exemplum Fr. Thierschii sequuti, propriam uniuscujusque maxime prosae orationis scriptoris grammaticam rationem, diligentius pervestigent.

9) Conr. Mannertus (Geographie d. Griech. u. Röm. aus ihr. Schrift. dargest. Nürnb. 1788.) primus, ut notum est, viam, a Cellario (Notitia orbis antiqui cum tabb. geogr. Lips. 1702. 706. II. Tom.) in geographia patefactam et a multis deinceps aliis tritam reliquit eamque hujus scientiae perficiendae iniit rationem, quae etiamnum doctis indoctisque pariter probatur. De eo, quo Cellarius, ut sunt tenuia uniuscujusque artis initia, imprudens justae locum dedit vituperationi vid. Mannertum in praef. p. V. Vossium, (Alte Weltkunde nebst d. Hesiod. Welttafel. Jen. 1804.) usque ad severitatem illum quondam veritatis amantem, flexit a vero, quod ab tam antiquis tamque incertae hac in re fidei auctoribus plus secum ipsis expetivit convenientiae et constantiae,

denique attendas eam harum litterarum partem, quae ad antiquitates, quas vocant, pertinet, tanta illis et undique conquirendis et ex vero earum quondam usu ac natura explicandis a VV. DD. adhibetur diligentia, ut ne vilissimam quidem antiquae supellectilis partem malo quodam pudore silentio transmissam videamus [10]).

Itaque in tot ac tantis, quae paullatim parta sunt, veteres scriptores intelligendi subsidiis, fieri non potest, quin etiam ii nonnihil ad augendam artium antiquarum culturam conferant, qui ab hac illave parte satis instructi ad singulos tantum scriptoris alicujus locos quoquo modo illustrandos mentem appellunt. Dummodo caveant illi sibi, ne, quum non frustra in expediendis aliquot aut intellectus difficultate aut vitiosa laborantibus scriptura exemplis operam suam sibi videantur collocasse, ipsum statim totum librum, nisi forte alia quaedam vel necessitas vel probabilis accedat caussa, suis illis adornatum opibus, denuo typis exprimere festinent. Ac nescio, qui fiat, ut tam multi veterum scriptorum loci, quibus partim ex sua, quam prae se ferre videntur, sententiarum gravitate, partim vero etiam ex omni scriptoris, cujus illi sunt, presse simpliciterque dicendi ratione multum lucis peti posse videatur, praeter reliquas unius saepe ejusdemque libri partes cum adversa quasi fortuna conflictentur. Quibus quidem locis hoc magis, quacunque potest ratione, succurrendum est, quo frequentiores vel doctissimorum virorum conatus nunc idonea, ut primo adspectu videtur, explicatione, nunc ingeniosa aliqua emendatione veram scriptoris sententiam indagandi aperte indicant, non tam immensam illos doctrinae copiam requirere, quam fortunatum aliquem, qui tantae occurrat suae fortunae iniquitati.

Haec mihi retractaturo singulos deinceps Taciti locos, quicunque prae ceteris vel accuratiorem adhuc exspectant explicationem vel nondum ad satis ju-

---

quam aut potuerunt praestare aut voluerunt. Nec minorem nunc adhiberi diligentiam in excutiendis tum graecis tum latinis rerum gestarum monumentis, ejus rei quum multa apud historicos nostri aevi indicia exstant, tum duo prudentissimorum, qui apud nos sunt, rerum explicatorum luculentum specimen exhibent. Niebuhrius et Ludenius, quorum ille Livio in rebus Romanis, hic Jul. Caesari et Tacito in rebus Germanicis multum fidei derogat. (Niebuhr, Röm. Gesch. II. S. 444. Luden, Gesch. d. teutsch. Volks. B. I. S. 6—10.) Quo jure ita fecerint, diligentius examinare, nimis sejunctum est a re proposita. Conferri tamen poterunt de altero Annall. litter. Berol. 1827. Jan. p. 135—160.

10) Talis non modo curiositatis, sed veri antiquitatis studii duo exstant luculenta exempla in Weberi Animadverss. in Juvenalis Satiras Particula I. p. 5—13. — Ut de altera etiam antiquitatum parte, quae Graecorum Romanorumque ritus, instituta et mores complectitur, hic paucis absolvam, hoc illa conjunctionis vinculo cum utriusque populi indole, animi cultura rerumque gestarum vicissitudinibus cohaerent, ut inde quasi sua sponte nata in domesticam quasi disciplinam abierint. Haec etiamtum magna ex parte valebat, quum caussae, quibus originem debebat suam, jam dudum evanuissent. Verumtamen etiam in his rebus diligenti antiquitatum interpreti videndum erit, ne, quae illis institutorum morumque quasi sanctitatibus postera aetas vel admiscuerit vel ademerit, ipsum praetereat. Neque negligitur illud a VV. DD. nostrae aetatis. Nam ut in pertractanda hac antiquitatis parte probe observant diversas aetates, ita alias ejusdem disciplinae partes obiter modo perstrictas recolunt, de aliis prorsus praetermissis acutissime exponunt. Conf. Schoemannus, d. Comitiis Atheniensium 1819. Idem, de sortitione judicum apud Athen. 1821. Lange, Vindiciae tragoediae Romanae 1822. Zell, Ferienschriften 1826. Dav. Ruhnkenii in antiquitates Romanas lectt. acad. IV. partt. edit. ab H. C. A. Eichstadio.

stam critices rationem vocati sunt, praefanda videbantur, ne nostrae disciplinae alumni, quorum potissimum commoda hac scriptione adjuvare in animo mihi et erat et esse debebat, aut eorum vocibus se decipi paterentur, qui hanc cognoscendae antiquitatis rationem tanquam futile syllabarum aucupium libellis sermonibusque differunt, aut dubitarent, quemadmodum ipsi, si quando ad illustrandum unum alterumve cujuscunque scriptoris locum accederent, eum tractarent.

Atque ut initium hujus recognitionis ab eo loco capiam, qui jam ducentos amplius abhinc annos explicatur, necdum, ut mihi quidem videtur, omni, qua premitur, liberatus est obscuritate, immo quo plures de ejus sententia exponere conati sunt, eo majoribus quasi obrutus videtur difficultatibus: nemo ignorat, quam copiose nostro maxime aevo VV. DD. disputaverint de loco illo, qui est in Taciti Germania, Cp. II., de eo, quomodo majores nostri aliquando nomen invenerint Germanorum. Ejus verba haec sunt:

„*Quidam, ut in licentia vetustatis, plures Deo ortos pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios affirmant, eaque vera et antiqua nomina. Ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paullatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis, invento nomine, Germani vocarentur.*"

Ad scripturam quod attinet, haud ita magna diversitas ad hunc locum in Codd. exstat, ita ut fere omnia in idonea Tacitoque digna singulorum verborum explicatione sint posita. Ac primum quidem quod scripturae Cod. Tur., Ed. Kath. aliarumque multarum et vett. et recc. Edd. „*Quidam autem, licentia vetustatis*," quam Immanuelis Becker, V. Cl., Ernestium sequutus, recepit, alteram illam „*Quidam, ut in licentia vetustatis*," quae est in Codd. duob. Vat., Cod. aliquo, quem se adiise affirmat Rhenanus, in Ed. Rom. et Nor. sive Cod. Kapp., praetuli, non propterea a me factum est, quod Editioni Nor., quae solam continet Germaniam, multum tribuitur a Passovio in Praef. ad Tac. Germ. p. XIV. — XVI., neque vero etiam, quod Latini adverbio „*ut*" eodem quo Graeci modo particula „*ὡς*" ad coërcendam limitandamque aliquam sententiam saepissime utantur [11]), — quae quidem, nisi ipsa sententia scriptoris talem requirit circumscriptionem, non intelligo quomodo justa esse possit caussa, cur illa scribendi ratio admittatur, — sed ideo potius, quod illa sunt, ut hoc potissimum loco esse debent, scriptoris de rebus parum compertis ma-

---

[11]) Vid. Hessium, doctissimum libelli de Germania interpretem, ad h. l., Schaef. ad Long. Pastor. p. 428. 29. et Bremium ad Cornel. Nep. Epam. V. Hessius verba illa sic explicat: „Quidam, ut exspectas (fieri solet) ab iis, qui in rebus vetustis pro arbitrio fingunt et ficta pro veris venditant."

ximeque religionibus quamvis peregrinis caute judicantis [12]). Neque igitur „*ut*“ eam hic vim habet, quam Hessius, comparatis aliis quibusdam libelli de Germania locis (Cp. XXII. 1. 5. XXX. 4.), illi tribuit, sed significat idem, quod „*quasi, velut*“ (Cp. VII. 3. XXXVIII. 5. Hist. I. 77. II. 74). — Accedit, quod „*autem,*“ ut Ciceronis in dicendo ubertati conveniens, ita Taciti breviloquentiae, praesertim si diligenter consideraveris duas priores ejusdem Cp. enuntiationes, indignum vix tolerari posse videatur. Aliter judicarem de hoc ad „*Quidam*“ addito „*autem,*“ alterum si praecederet „*quidam*“ vel simile quoddam, quippe quo lenis quaedam fieret oppositio, quae jam eaque satis gravis in solo pronomine „*Quidam*“ inest. Verborum igitur „*Quidam, ut in licentia vetustatis,*“ sententia haec est: „Quidam, quasi venia utentes ea, quae in tanta rerum vetustate dari solet, (ut veris ficta misceantur iisque afferatur fides) plures apud se fuisse Deo ortos asseverant pluraque suae gentis antiqua nomina;“ ita ut Tacitus non tam dicat, Germanos illa licentia vere esse usos, quam sui ipsius populi magis augusta quam vera meminisse videatur primordia. Conf. Livii Praef. 7.

Verba deinceps „*Ceterum Germaniae vocabulum recens, et nuper additum*“ nulla fere obscuritate laborant, nisi quod VV. DD. inter se dissentiunt, unde vocabulum Germaniae originem traxerit. Nolo repetere, quae Hessius de multorum indagandae illius originis conatibus studiose et satis accurate ad h. l. congessit [13]), sed ad ea me statim convertam, quae fortasse conferunt ad tollendas quasdam dubitationes, quas nonnulli interpretes sine justa caussa sibi ipsi injecerunt. Sive iis enim te addicas, qui illam vocem a Celtica, sive iis, qui a Germanica lingua profectam esse censent, hoc certe constat, tantum peregrinae linguae utrumque populum facile addiscere potuisse, ut aut Galli unum et alterum vocabulum, praesertim si ad rem militarem pertineret, quamvis illud a majoribus nostris ex sua ipsorum lingua sumptum, intelligerent, aut majores nostri, ut nomen sibi aliquod imponerent, Celtica uti possent lingua. Quamquam ex eo, quod, quum illud nationis nomen in nomen gentis abierit, ad remotiores quoque regiones nostrae patriae pervenisse nec cuiquam ibi obscurum fuisse necesse erat, colligendum videtur, ejus originem potius a Germanica lingua petendam esse. Sunt autem tria potissimum, quae me in eorum sententiam adducunt, qui viros hastatos, αἰχμητάς, (Speermänner) Germanorum vocabulo indicari arbitrantur. Primum enim derivatio illa a voce linguae Germanicae priscae „Ger“ (Speer, Wurfspieß) et „Man“ facile unicuique magna

[12]) Summa Tacitus est religione, quotiescunque in hoc libello ad res vel incertas vel divinas devenerit. Conf. Cp. II. 1. III. 5. V. 4. IX. 8. XL. 7.

[13]) Rühsius (Ausführliche Erläuterung der zehn ersten Kap. d. Schrift des Tacitus über Deutschland p. 96.) de variis sententiis, quae de hac re in medium prolatae sunt, sic judicat: „Die etymologische Erklärung des Wortes Germanen hat die Gelehrten sehr häufig beschäftigt, obgleich der Natur der Sache nach sich nichts mit Bestimmtheit über ein Wort ausmitteln läßt, dessen Entstehung über den Gränzen unserer Forschung hinausliegt.

probatur simplicitate; deinde hoc ipsum nomen, ita quidem explicatum, verissime designat mores rudis incultaeque gentis, quae, ut est manu tantum fortis, maxime armis suaque in his exercitatione gloriatur. Ea vero, feritate dicam an ferocia, majores nostros fuisse, nemo negabit, qui non praejudicata opinione ea, quae Caesar et Tacitus memoriae de illis prodiderunt, diligenter perpenderit [14]). Denique quemadmodum apud Germanos in universum robur in pedite erat [15]), ita peditum nobilissimos fuisse hastatos, ex multis Taciti scriptorum locis conjicere licet [16]). Quid igitur mirum, quod qui primi Rhenum trajecere, ab iis se appellatos esse voluerunt, qui, quo pauciores tum quidem videntur fuisse, (Germ. VI., 1.) eo majore apud suos pollebant auctoritate.

Atque hoc vocabulum affirmant „*Quidam*" illi recens et nuper additum esse. Scio equidem, Manutium ad Cic. Epp. ad Divv. XI., 21., 4. hoc inter „*novum*" et „*recens*" discrimen statuere, ut „*novum*" esse dicat non quod nuper, sed quod nunc primum habeamus, „*recens*" autem non quod nunc primum, sed quod nuper, ita ut „*novum*" ad rem, „*recens*" vero ad tempus referatur. Neque in animo mihi est negare, hoc discrimen universae latini sermonis consuetudini congruere multaque afferri posse exempla, e quibus „*recens*" et „*nuper*" significatione prorsus non differre intelligatur. Idem vero in hunc locum cadere, vix credibile videatur. Cui enim probetur, Tacitum, qui tantae studeat dicendi brevitati, in una enuntiatione duobus deinceps vocabulis ita usum esse, ut nihil significatione inter se discreparent? Immo quod illas voces particula „et," quae ut *καὶ* (cf. Erfurdt. ad Sophocl. Antig. v. 355.), diversa solet conjungere, copulat, id ipsum declarare videtur, Tacitum eas vi disjunctas esse voluisse. Atque ita est. Nam „*recens*" hoc loco non ad tempus referendum est, ut sit, quod nuper accidit, sed ad vim usumque vocabuli Germaniae, quod, ut Ciceronis verbis utar

14) Conf. Tac. Germ. III. 3. XIII. 1. XIV. 4. XVIII. 4. XXIV. 1. 2. XXVII. 2. XXXI. 1. 2. Neque alios ex Homero cognovimus mores fuisse Graecorum ad Trojam belligerantium, ut quum Hom. Il. II. 542—544.

„*Τῷ δ' ἅμ' Ἄβαντες ἕποντο θοοί, ὄπιθεν κομόωντες,*
αἰχμηταί, μεμαῶτες ὀρεκτῇσιν μελίῃσι
θώρηκας ῥήξειν δηΐων ἀμφὶ στήθεσσι·"

legimus, de antiquis Germanis nobis sermo esse videatur.

15) Conf. Tac. Germ. VI. 7. ubi haec scripta sunt: „In universum aestimanti, plus penes peditem roboris." Atque quod ibi in commune de omnibus Germanis dicit, idem prodit de Chattorum populo. Conf. Cp. XXX. 6. „Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant."

16) Ut apud Romanos, republica quidem stante, (cf. Liv. VIII. 8.) ita apud Germanos quoque prima acies hastati erant. Conf. Annal. II. 14. „Primam utcunque aciem hastatam; ceteris praeusta aut brevia tela." Porro eosdem bellicosissimos ac fortissimos fuisse, qui corporis habitu multisque aliis modis terrorem affectarent, (Germ. III., 3. XXXVIII., 5. XLIII., 11.) quum ex omni ingenio moribusque antiquorum Germanorum, ignari ut erant omnis rei militaris disciplinae, tum ex pluribus, quae exstant, hujus rei exemplis colligere licet. Germ. XXXI., 3—5. Denique hastatos illos, maxime ubi in locum ventum erat, quo expediti his ingentibus lanceis uti possent, terrorem adeo Romanis injecisse, discimus ex Annall. I., 64. II., 14.

utar, quamdiu vigebat et habebat quamdam viriditatem, i. e. more usuque receptum erat, oppositum ceteris gentis Germanicae appellationibus, quae vetustate oblitteratae obsoletaeque erant, tamdiu recte appellabatur recens [17]). Quemadmodum igitur hujus verbi significationem latius patuisse apud latinae linguae scriptores videmus, ita idem de altera illa valet voce „*nuper*,“ qua etiam longius temporis spatium indicari, Hessius illo Ciceronis loco [18]): „Quid ea, quae nuper, i. e. paucis ante seculis, medicorum ingeniis reperta sunt,“ optime docuit. Jam vero, quum in Fastis Capitol. ad A. V. C. 531. inscriptio inveniatur, qua M. Cl. Marcellus jam A. V. C. 531. de Gallis, Insubribus et Germanis, duce hostium, Virdomaro, caeso, spolia opima retulisse proditur [19]), eo si quis vellet hoc loco extensam esse significationem voculae „*nuper*,“ ut Cl. Marcelli tempora attingeret, certe ne repugnaret, ut nonnulli VV. DD. opinati sunt, illud monumentum his Taciti verbis, ipsa quidem vis vocis „*nuper*,“ quum inter Marcelli tempora et Taciti aetatem pauca tantum, i. e. non amplius tria intersint secula, non obstaret ejusmodi sententiae. At vero obstat aperta ipsius Taciti sententia. Non enim dicit Tacitus, vocabulum Germanorum, si solum spectes vocabulum, nuper additum esse, sed vocabulum Germaniae, sive Germanorum, ut nomen gentis. Qui aliter explicant verba, secum non reputant, Tacitum in antecedentibus (5) non nisi de diversis majorum nostrorum, ut gentis, appellationibus dixisse, in sequentibus autem quam diligentissime de eo disserere, quomodo e nationis nomine Germanorum paullatim ortum sit nomen Germaniae, sive Germanorum, ut nomen gentis. Ceterum quo tempore vocabulum illud commune omnium nationum esse coeperit, quis, quum paullatim evaluerit, certo dicat? Certe Marii aetate illud nondum apud omnes nationes in usu fuisse, inde videmus, quod Cimbri et Teutoni eo non usi sunt [20]).

---

17) Vid. Cic. Tuscul. quaestt. III., 31. ubi haec a Cicerone e Zenonis sententia de verbo „recens“ disputata sunt: „Additur ad hanc definitionem a Zenone recte, ut illa opinio praesentis mali sit recens, hoc autem verbum sic interpretatur, ut non tantum illud recens esse velit, quod paullo ante acciderit, sed, quamdiu in illo opinato malo vis quaedam insit, et vigeat, et habeat quamdam viriditatem, tamdiu appelletur recens: quae (opinio) tum denique non appellabatur recens, quum vetustate exaruit.“

18) Conf. Cic. de Nat. D. II., 50.

19) Inscriptio illa, cujus scripturam Wilhelmus, Germ. p. 15. sq. et Diltheius ad h. l. contra Rühsium (cf. p. 93. sq.) recte beneque tuiti sunt, est haec:

M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. COS. DE. GALLEIS. INSVBRIBVS. ET. GERMANEIS. K. MART. ISQVE. SPOLIA. OPIMA. RETVLIT. DVCE. HOSTIVM. VIRDOMARO. AD. CLASTIDIVM. INTERFECTO.

Vid. Mascov, Gesch. d. Deutschen p. 5. Wilhelm, Germ. p. 15.

20) Omnino, ut quid Tacitus dicat, recte intelligamus, probe cogitatione discernendum est illud tempus, quo vocabulum Germanorum in nomen gentis evaluit, ab eo, quo, postquam primi Germani in Galliam transierant, nationis nomen factum est. Atque quemadmodum omnes Germaniae incolae se ipsi paullatim Germanos appellarunt, ita vocabulum illud jam antiquissimis temporibus, fortasse jam iis, quibus ipsi Galli colonias trans Rhenum mittebant (Caes. de Bello Gall. VI. 24.), nomen fuit nationis. Etenim quod Germani cum Gallis conjuncti, quos antea Rhenum transgressi vicisse dicuntur, impetu in Italiam facto, anno V. C. 531. proelio cum Romanis congressi sunt, id satis certo esse potest argumento, eos, qui primi in Galliam transmiserunt, multo ante illud

Deinde, ut silentio praeteream minutam scripturae discrepantiam, quae ad nomen Vandaliorum pertinet, valde miror, quod Ludenius, V. Cl., scribendi rationem *„nunc Tungri, nunc Germani,"* omisso *„ac,"* quae ut auctoritate Codd. parum firmata reique, quomodo narratur, manifesto officiens, jam dudum explosa mihi videbatur, denuo speciosa magis, quam vera tueri studuit argumentatione [21]). Nam quod contendit, Tungros etiam Vitellii aetate Germanos esse appellatos, adeo verum est, ut nihil possit contradici. Tametsi, hoc concesso, non item concedere possumus, Tungros illo tempore, de quo Tacitus scribit, eadem vi, qua Vitellii temporibus, Germanos esse nominatos. Etenim ut nomen Germanorum (si spectes ejus originem, nomen, quod dicunt, appellativum), antiquissimis illis temporibus tantum nationis ejusque appella-

proelium sedem mutasse. Atque illo tempore vocabulum Germanorum nationis nomen factum esse, Tacitus diserte dicit. — De eadem re Leo in Annall. litter. Berol. 1827. p. 155. sic disputat: „Der Name Germanen mag immerhin als deutsch zugegeben werden, obgleich auch diess einigermaßen zweifelhaft ist; die Form Germania aber kann nirgends als deutsch nachgewiesen werden oder einer deutschen nachgebildet aufgezeigt werden; sie ist eine aus dem Namen Germani gefolgerte Römische Bildung eines Ländernamens." Ceterum an vera sit Taciti sententia de origine nominis Germanorum, de quo Diltheius ad h. l. dubitat, diligentius inquirere mihi nihil nisi Taciti verba explicaturo non opus videtur.

[21]) Vid. Ludenii hist. gentis Germ. T. I. p. 593. ubi sic illam scripturam defendit: „Für die Lesart: *nunc — nunc* spricht Tac. Hist. IV. 15. Vitellius e proximis Nerviorum Germanorumque pagis segnem numerum armis oneraverat. Erinnert man sich bei diesen Worten an Caes. d. b. G. II, 4. so kann man kaum zweifeln, dass die Tungri hier Germani genannt seyen. Denn 1) kann Tac. unmöglich das Volk der Nervier und die Germanen überhaupt zusammengestellt haben; 2) ist nicht zu glauben, dass er von den Germanen überhaupt den Ausdruck segnis numerus gebraucht hätte; 3) wäre die Angabe unverständig, weil Vitellius — viribus cohortium abductis — gar nicht im Stande gewesen wäre, Germanen vom anderen Rhein-Ufer und zwar segnes armis onerare; 4) endlich kommt im folgenden Kap. auch wirklich der Name Tungri zum Vorschein. Die Tungrorum cohors ist offenbar segnis Germanorum numerus, den Nerviern entgegengesetzt; und Tac. gebraucht das Wort, weil Germani in einem anderen Sinne kurz vorhergegangen war. Er nennt mithin dasselbe Volk — natio — nunc Tungri, nunc Germani. — Der Einwurf, dass Caesar den Namen Tungrer nicht hat, kommt nicht in Betracht. Die Condrusen, Eburonen, Caeraesen und Pämanen, qui uno nomine Germani vocantur, haben den Namen Tungrer ohne Zweifel von dem Lande erhalten, das sie bewohnten, und deswegen kam er erst nach und nach in Gebrauch. Hätte Tac. weitläufig seyn können und genau seyn wollen, so hätte er vielleicht sagen müssen: Condrusi, Eburones, Caeraesi, Paemani, nunc uno nomine Tungri, nunc Germani vocati sint." — Ad refutandam totam hanc argumentationem sufficiet monuisse, Tacitum illo Hist. IV. 15. loco non aequiparasse Nervios universae genti Germanorum, sed *proximos* Nerviorum pagos *proximis* pagis Germanorum. Hos vero Tungros fuisse, quis contradicat, quum reliqui Germaniae secundae, sive inferioris, populi, ut Gugerni (Hist. IV. 27.) et Canninefates (IV. 15.) aut mente animoque cum Batavis agerent, aut remotius ab insula Batavia, ut Ubii et qui erant Germaniae primae, sive superioris, incolae, Vangiones, Triboci et Nemetes, in Galliis incolerent. (Cf. Ptol. Geogr. II. 9. Plin. Hist. Nat. IV. 31.) Quid? quod Batavi ipsi, Canninefates, Gugerni et Tungri, qui tum Civile duce bellum adversus Romanos agebant, communi nomine Germani appellantur. (Cf. Hist. IV. 16. „quae Germani, — non diu occultaverant." IV. 75. „Apud Germanos diversis sententiis certabatur.") Porro Tungros et quoscunque Vitellius praeter hos armis oneraverat, segnes ad custodiendos Batavos fuisse, quum ex gravi colligitur delectu, quem tum Romani per Gallias Germaniasque habebant, (Cf. Hist. IV, 14. 71.) tum ex eo, quod, postquam Tungrorum cohors ad Batavos transierat, Ubii et Treveri, fidissima Romanorum auxilia, (Hist. IV. 28. 37.) primo segniter restitere Batavis, (IV. 18.) deinde, nuntiis ultro citroque missis (IV, 55.) coetibusque factis in colonia Agrippinensi, una cum Nerviis signa ad Civilem transtulerunt (cf. Hist. IV, 66). Denique jam Caesaris aetate nomen Germanorum non amplius nationis, sed gentis fuisse appellationem, intelligimus e Caes. d. b. G. VI. 2. 32, ubi gens Germanorum in Cisrhenanos et Transrhenanos Germanos dividitur.

tio erat, quae prima Rhenum transgressa est, ita postea, quam illa natio, expulsis Gallis, in Gallia consederat, et primo Condrusorum, Eburonum, Caeraesorum et Paemanorum (cf. Caes. d. B. G. II. 4. 10.), deinde Tungrorum nomen a sede, ut videtur, traxerat sua, in gentis nomen abiit, quod non magis de Tungris, quam de ceteris patriae nostrae incolis, ad quos pervenisset, valebat. Sed, ut paucis totam hanc disceptationem profligem, primum in antecedentibus „*Ceterum — recens*“ de solo vocabulo Germaniae sermo est, neque potest fieri, quin in nomine Tungrorum, scriptura „*nunc — nunc*“ pari, atque Germanorum nomen, vi elato, diligentissimus quisque offendat lector. Deinde cui persuadeatur, illam nationem, quae prima in Galliam dicitur transgressa esse, duobus simul usam esse nominibus, quorum unum idque Tungrorum nomen, quum, exstincto demum Condrusorum, Eburonum, Caeraesorum et Paemanorum nomine, ortum pervulgatumque sit, ne posset quidem more receptum esse? Postremo ex omnibus apparet, Ludenium aut diversa, nimirum Taciti et pristini illius transitus, tempora confudisse, aut Tacitum in ea ipsa re negligentiae coarguere nimiaeque breviloquentiae, in qua quum diligentissimus et copiosior, ac solet, fuerit, paullo obscurior factus sit. Vera igitur est sententia eorum, qui „*ac nunc Tungri, tunc Germani*“ scribendum censent, ac, comparato simili quodam hujus de Germania libelli loco, (Cp. XXXVI. „Ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur.“) per Syllepsin haec verba explicant: modo ne illi conjunctivum „*vocentur*,“ sed indicativum „*vocantur*,“ ut ipsius Taciti potius haec sententia esset, supplendum censuerint. Sed de hac re postea.

Devenio jam ad verba „*Ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paullatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis, invento nomine, Germani vocarentur.*“, quae, quum tantum non omnes Codd. de scribendi ratione sibi constent[22]), eo magis est admirandum, quod a nemine adhuc, quantum equidem scio, recte sunt explicata. Nimirum quicunque in iis enucleandis operam posuerunt, in eo potissimum mihi videntur peccasse, quod, praeoccupato judicio, totum locum prius illustrare aggressi sunt, quam tum de caussa diligentius quaesiverunt, in qua natio illa fuerit, quae prima in Galliam transgressa est, tum attenderunt rationem, qua Tacitus de origine vocabuli Germanorum, quorumdam ejusdem gentis hominum de hac re expositionem sequutus, verbis „*Ceterum — vocarentur*“ disseruerit.

Facile autem speramus nos excusatum iri, si, omissis tot interpretum sententiis, qui in eodem loco expediendo desudarunt, nova quadam ratione nostram de illis verbis instituamus disputationem. Quum enim una modo inter-

---

22) Cod. Arundell. tantum habet „*mox et a se ipsis*,“. Verum si attendas, quantopere, particula „*et*“ voci „*ipsis*“ supra adjecta, grata totius enuntiationis concinnitas impediatur, a quovis alio atque latino scriptore, nedum a Tacito illa addita tibi videatur.

pretatio vera esse possit, nostra viris doctis probata, vix quemquam fore existimamus, qui singulas quasque opinationes a nobis refutari postulet, praesertim quum, si diversam rationem exceperis, quam Broterius[23]) et Walchius[24]) in illis verbis illustrandis sequuti sunt, nulla aliorum de iis sententia exstet, qua non labefactata sint, quae accurata firmanda erant interpretatione.

Ac primum quidem ratio, qua Tacitus de origine nominis Germanorum, sive vera illa, sive falsa, exponit, ea est, ut non tantum memoriae prodat, quae a Germanis, qui sunt illi „*Quidam,*" de hac re accepit, verum etiam suam ipsius sententiam simul addat, qua brevem Germanorum narrationem quasi illustret. Hoc ita esse, quum nimia fere Taciti in tradenda illius nominis origine diligentia indicatur, tum verbis praecipue „*ac nunc Tungri,*" quae non tam ab eo profecta videntur, qui rem aliquam breviter enarrat, quam accurate qui explicat. Iterum igitur totum illum locum huc transscribendum existimavi, ita tamen, ut cancellis circumdarem ea, quae mihi ad explanandam simplicem Germanorum de sui nominis origine expositionem a Tacito addita videntur: „Cete-

---

[23]) Broterius T. VI. p. 183., cujus explicatio, postquam a Petisco repetita (Conf. Seebod. Bibl. crit. 1822. p. 186.) et a Grotefendo accuratissime retractata est (Conf. Seebod. Bibl. crit. 1822. p. 360—366.) jam plerisque VV. DD. probatur (Conf. Wilhelm. Germ. p. 17. sq. Luden. Hist. gent. Germ. T. I. p. 594. sqq. et Heff. ad h. l.) illa verba sic interpretatus est: „Primo nomen hoc fuit nationis victricis Cisrhenanae, non vero totius gentis Transrhenanae: sed paullatim evaluit; et Transrhenani omnes nomen, quod victor *ob metum incutiendum* repererat, ipsi usurpavere, reputantes, idem nominis ob bellicae gloriae claritudinem sibi deberi." Haec vero explicatio propterea improbanda est, quod neque apud Tacitum, neque, quantum scio, apud quemquam alium latinorum scriptorum exemplum invenitur, ex quo appareat, verba „*ob metum*" idem interdum valere, quod „*ob metum incutiendum,*" sive „*ad metum injiciendum.*" Immo postquam similes quosque illius locos, qui apud Tacitum sunt, diligenter consideravi, id edoctus sum, „*ob metum*" et, quod Cicero aliique latini scriptores habent, „*propter metum*" significatione prorsus non differre. Conf. Tac. Annall. I. 1. 68. III. 40. V. 6. XII. 51. XV. 73. Hist. II. 49. III. 86. Agric. 5. 24. Neque silentio praetereundum videtur, Tacitum non nisi duobus locis (Hist. I. 65. Dial. 21.) praepositione „*propter*" ea significatione usum esse, qua propius ad praepositionem „*ob*" accedat. Porro ubi Tacitus eam sententiam exprimere vult, quae in verbis „ad metum injiciendum" inest, utitur praepositionibus „*ad*" et „*in.*" Conf. Annall. I. 21. „Blaesus paucos — ad terrorem ceterorum affici verberibus jubet." II. 6. „augebantur (naves) alacritate militum in speciem ac terrorem." Germ. 39. „in altitudinem quamdam et terrorem — compti," Agric. 35. „Britannorum acies in speciem simul et terrorem editioribus locis constiterat," Liv. I. 33. „carcer ad terrorem increscentis audaciae — aedificatur." — Nisi igitur alia, atque adhuc allata sunt, exempla vel ex Tacito vel ex aliis scriptoribus ad confirmandam Broterii interpretationem in medium proferantur, mirabile esse non potest, si qui sunt, qui illam non modo a Taciti loquendi ratione, sed ab universa latini sermonis consuetudine abhorrere contendant. Restat, ut paucis de discrimine explicem, quod est inter „*per metum*" et „*ob metum.*" Atque quemadmodum verbis „*per metum*" atque „*metu*" ipsa illa animi affectio indicatur, ita „*ob metum*" magis ad ea referendum est, quae metum injiciunt; ut qui per metum, sive metu aliquid facit, id faciat sui illa animi affectione ductus, contra ob metum qui aliquid facit, hujus animo obversentur ea, unde sibi aliquid metuendum existimat, nisi si provideat. Quare „*per metum*" est, quod nostrum „*in Furcht,*" „*ob metum*" autem „*aus Furcht.*"

[24]) Walchii interpretatio (Emendatt. Liv. p. 79.): „Ita unius populi nomen, non autem gentis universae nomen paullatim hominum usu vim obtinuisse; ita ut Germaniae incolae primum secundum victores Tungros ab iis, qui sibi metuebant ab illis, mox a semet ipsis invento nomine Germani appellarentur," hac potissimum ex parte claudicat, quod praepositio „*a*" in duabus deinceps enuntiationibus, quarum singula quaeque verba sibi respondere apertum est, diversis modis explicatur. Quo fit, ut disturbata totius sententiae concinnitate, in priore ejus parte aliquid desideretur, quod Walchius, quum ipse quoque intelligeret, verbis „*ab iis, qui*" indicavit.

rum Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, (ac nunc Tungri, tunc) Germani vocati sint. Ita (nationis) nomen (non gentis,) evaluisse paullatim, ut omnes primum a victore (ob metum), mox a se ipsis (invento nomine) Germani vocarentur." Erunt fortasse, qui dubitent, quid hac verborum distinctione consequar. Quibus, ut statim in limine aperiam, quid de verbis „*a victore ob metum*" sentiam, jam minus mirum videbitur, mihi eam ipsam illorum interpretationem probari, quam omnes adhuc interpretes ita ineptam ac nugatoriam habuerunt, ut de ea ne cogitare quidem auderent [25]). Nimirum Tacitus his verbis aperte indicat, eos, qui primi ex patria nostra in Galliam transgressi, Gallis superatis, suam ibi sedem collocaverint, quamvis victores, propter metum (aus Furcht) omnibus, qui trans Rhenum incolerent, nomen imposuisse Germanorum. Quaeritur jam, quomodo Tacitus dicere potuerit, propter metum illos, victores quum essent, suae genti eoque sibi quoque nomen Germanorum dedisse. Ac primum ex iis, quae supra sunt a me disputata, elucet, nationem, quae postea nomen Tungrorum invenit, tam antiquis temporibus ex suis finibus in Galliam transiisse, ut, quando illud factum sit, ne ad Caesaris quidem aetatem fama esset perlatum. Jam vero quum Caesar et Tacitus, qui illum sequitur, memorent, Gallos antiquitus virtute bellique gloria praestitisse Germanis [26]), adeone ineptum est, si, qui primi Gallos, etiamtum invictos, superare coeperint, iis, quamvis victoribus, tam multa Tacitus dicat ab gente illa ex parte tantum, ut erat, victa fuisse extimescenda, ut propter metum, quoque facilius a se averterent illa pericula, insigne quoddam nomen suis sibique imposuerint? Sed accedit altera etiam caussa, propter quam Tacitum recte ita judicasse statuendum est. Quamquam enim Galli dicebant [27]), et vulgo tum creditum est [28]), quicunque Germani antiquitus in Gallia consedissent, eos propter agrorum fertilitatem mutandaeque sedis amorem Rhenum transgressos esse, mirabile tamen esset, si illi tantum, neque alii quoque, qui retro Germaniam incolebant et vacua tum eorum, qui in Galliam emigrarant, domicilia occuparunt, novas sedes quaesivissent. Igitur quum is et tum et postea rerum status esset, ut totae gentes et nationes alia aliam ex suis finibus exterminarent, quid obstat, quominus illam quoque nationem e Germania expulsam esse arbitremur? An quemquam fugit, Germanis, praeter quamdam illis fere insitam discordiam [29]), maximam, ut Caesaris verbis utar, laudem fuisse, quam latissimas circum se vastatis finibus so-

---

[25]) Conf. Seebod. Bibl. crit. 1822. p. 136. et Luden. Hist. gent. Germ. p. 595, qui veram illius loci explicationem his verbis rejecit: „Weil aber die Tungrer Sieger waren, und vom Sieger nicht wohl angenommen werden kann, daſs er sich gefürchtet habe: so muſste das „*a victore*" in „*a victis*" geändert werden."

[26]) Vid. Caes. de Bello Gall. VI, 24. Tac. Germ. XXVIII. Agric. XI. Caes. de Bello Gall. VII. 1.

[27]) Caes. de Bello Gall. II. 4.

[28]) Tac. Hist. IV. 73.

[29]) Tac. Annall. I, 57. II, 44. 45. XIII, 57. Germ. XXXIII. Hist. III, 12. Germ. XXIX.

titudinem habere, atque hoc proprium virtutis existimasse, expulsos agris finitimos cedere, nec quemquam prope audere consistere [30])? His expositis quum, quantum fieri potest, demonstrasse mihi videar, Tungros aliquando, non ut ultro bellum inferrent, sed patria pulsos, in Galliam transscendisse, quid mirum, quod Tacitus eos, ita quum utrimque ab hostibus circumdati premerentur, desperatissima victoria parta, propter timorem atque auctoritatem animumque sibi adderent, omnibus Transrhenanis, a quibus suos victores victos esse Galli ignorarent, nomen illud Germanorum indidisse autumat. Sed, ut haec omnia missa faciamus, atque nihil nisi universam sententiam spectemus, nonne is sibi ipsi diffidit, qui ex aliis sibi quaerit auctoritatem? Atque quum Tungri non se, sed omnes Germaniae incolas Germanos appellarent, qua tandem alia de caussa hoc factum existimes, nisi ut eo ancipiti suae fortunae perfugium pararent, quod sibi ipsi praebere non possent [31]). Quemadmodum autem vix credibile est, Germanos *ipsos*, qui sunt intelligendi illi „*Quidam*,“ tum quidem de sui suorumque majorum nominis origine in hunc modum exposuisse, ita Tacito talis explicatio convenit, qui, praeterquam quod frequenter similibus *ὀξυμώροις* utitur [32]), nunquam non meminit, se esse Romanum [33]). Nec desunt denique apud alios scriptores exempla, quibus haec interpretatio illustretur. Ita quum Livius (III, 65.) hanc sententiam eloquitur: „cavendoque, ne metuant homines, metuendos ultro se efficiunt:“ nonne ille probe, ut Tacitus, nosse videtur ingenium humanum [34])?

Igitur, ut breviter complectar ea, quibus extrema pars hujus disputationis continetur, verba „*Ceterum — vocarentur*“ sic explicaverim: „Ceterum dicunt iidem (Quidam), nomen Germaniae, sive Germanorum, ut universae gentis, recens et nuper esse additum; quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos, eosque Rheni accolas, expulerint, ac nunc Tungri vocantur, tunc Germani vocati sint. Atque ita quum vocabulum Germanorum, quod nondum ad universam gentem pertinebat, nationis nomen evasisset, paullatim illud eo crevisse, ut omnes Transrhenani primum quidem a Tungris victoribus, idque propter

---

[30]) Caes. de Bello Gall. VI, 23. IV, 3. 16.

[31]) De indole ac moribus antiquissimorum Germanorum supra disserui; sed addere liceat locum, unde cognoscatur, quantopere interdum, quum sibi diffidere coepissent, sese jactaverint. Conf. Caes. de Bello Gall. IV. 7. „Sese unis Suevis concedere, quibus ne dii quidem immortales pares esse possint: reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint.“

[32]) Conf. Tac. Annall. I, 8. „Remisit Caesar arroganti moderatione.“ I. 33. „Sed anxius occultis in se patrui aviaeque odiis, quorum caussae acriores, quia iniquae.“ I. 69. „Ac, ni Agrippina impositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant, qui id flagitium formidine auderent.“ Horat. Epist. I, 11. 28. „Strenua nos exercet inertia.“

[33]) Conf. Germ. XXXIII, 3.

[34]) Comparari etiam possunt cum illo Taciti loco, quae in Ephem. Vespert. 1826. N. 162. his fere verbis tradita sunt: „Philipp II. hatte den Befehl ertheilt, dem Herzoge von Braganza bei seiner Anwesenheit in Madrit den Eskurial zu zeigen. Als man dem Herzoge dabei sagte, der König habe dieses Schloſs erbaut, ein Gelübde zu erfüllen, das er bei der Schlacht von St. Quentin gethan, erwiederte der Prinz geistreich: „Wahrlich nur groſse Furcht konnte ein so groſses Gelübde veranlassen.“

metum, deinde illi a se ipsis, quum nomen in se, ut gentem, invenissent translatum, Germani vocarentur."

Hoc modo suam illis verbis sententiam restituisse mihi videor. Quod ut aliis quoque probetur, vehementer velim. Erat nobis in animo, praeter hunc nonnullos alios Taciti locos retractare, sed ratione harum scriptionum exclusi, quae quo breviores sunt, eo benevolentiores nanciscuntur lectores, eorum censuram in aliud tempus differendam putavimus.

Reliquum est, id quod occasionem nobis dedit haec scribendi, ut ad oratiunculas, quas nonnulli disciplinae nostrae alumni, antequam in academiam discedant, habituri sunt, audiendas scholae nostrae PATRONOS SUMME REVERENDOS et reliquos hujus urbis CIVES OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMOS, qui litteris artibusque liberalibus favent, omni, qua par est, observantia, rite invitemus. Qui ut sua nos nostramque scholam frequentia ornent, etiam atque etiam rogamus.
